

externum, qui est alteri nocivus, etiamsi ex intentione nocendi agat. Ratio est, quia intentio prava facere nequit iniustum, quod *de se* iustum est, siquidem naturam actus externi mutare non potest. Hinc non peccat *actu externo* contra iustitiam iudex homicidam ex odio ad mortem promeritam damnando; nec mercator merces suas infimo pretio vendens, ut alios mercatores emolumentis privet — *Ita communissime iuxta* Vogler, n. 402. cum Lugo, disp. 8. n. 79. et disp. 18. n. 98.

*Resp.* 3<sup>o</sup> *Affirm.* autem, si opus externum sit indifferens ad nocendum vel non nocendum, secluso iure directo agentis: tunc enim saepe prava intentio determinat opus externum, ut damnosum evadat. Itaque non peccas quidem contra iustitiam accipiens rem e manibus furis, ut eam domino restituas; secus vero, si accipias, ut retineas. Nec iniuriam facis amico, eius librum tollendo ut illum obiter percurras; secus vero, si ut subripias.

604. — QUAER. 4<sup>o</sup> *Quid si opus externum ex mala quidem intentione ponatur, non sit tamen vere probabile, quod secuturum damnum sit?*

*Resp.* *Controvertitur* inter gravissimos theologos. Clarius autem patebit status quaestionis ex sequentibus exemplis. 1<sup>o</sup> Aliquis ponit venenum aut laqueum in loco, in quo rarissime transit inimicus, sed ea intentione ut occidatur, si forte transeat. 2<sup>o</sup> Medicus adhibet omnem diligentiam, ad quam tenetur, sed non vult maiorem adhibere ex odio, ut sequatur mors infirmi. Quaeritur, an illi causa sint iniustae mortis, si de facto sequatur? Duplex est sententia. — 1<sup>a</sup> SENTENTIA, quae communior videtur, *negat*. Ratio est, quia ex una parte actus externus non est iniustus, cum mera damni alieni possibilitas in rebus humanis attendi non debeat; ex altera parte actus internus non efficitur iniurius ratione intentionis, cum intentio non influat in efficaciam causae, seu in periculum damni. Quocirca dicenda est causa mere *per accidens*, nec prava intentio eius naturam mutat. — Ita Lessius, lib. 2. c. 9. n. 133. (2). Vogler, n. 404., et alii

(2) Card. De Lugo (*De Iust.* disp. 11. n. 80.) animadvertit, Lessium, qui saepius docuit, diversitatem illam intentionis, qua quis aliquid facit ex odio vel ut damnum sequatur, nihil referre, ut propterea sequatur restitutionis obligatio, ... tandem recurrere ad illam intentionis diversitatem, ut ponat, vel neget obligationem restituendi pro damnis ex occasione sequentibus... Unde admittit, quod si eo fine occideret, ut aliorum damnum sequeretur, teneretur utique ad restitutionem.... Quod

idem concedit.... respectu creditorum occisi, quibus, si, ut eis obesses, debitorem occidisti, teneris ad restituenda debita, quae alias recuperare non possent.

Haec porro doctrinae inconstantia non solum in Lessio cernitur, sed et in aliis, quos videre est penes S. Alphonsum (lib. 3. n. 633.). Et hic quidem ad notam hanc vitandam reponit, in praedicto casu non modo haberi pravam intentionem internam, sed hanc prodire in vim externe iniustam, prout est homicidium debitoris,

*non pauci.* — II<sup>o</sup> vero SENTENTIA *affirmat*, non infirmo fundamento innixa. Ratio est, quia in praefatis casibus homicidium est sane contra iustitiam, et non excusatur, nisi quatenus involuntarium. Porro intentio illud reddit voluntarium. Ideo enim, seclusa intentione, non est voluntarium, quia ponens causam non censetur velle efficaciter effectum, cum effectus probabiliter non connectatur cum causa; sed intentio illam connexionem supplet, et facit, ut operans vera illius causa sit, quippe ad rationem causae multum conducit intentio operantis. Ergo, etc... — Ita Lugo, disp. 8. n. 75. — Salmant. — Advertit porro Lugo, in praefatis casibus ad rationem iniuriae non sufficere praevisionem possibilitatis damni, sed requiri etiam intentionem illud procurandi.

## CAPUT II.

## DE INIURIA IN SPECIE SEU DE PECCATIS CONTRA IUSTITIAM.

Hic tantum de iniuriis in bonis fortunae agendum est, scilicet de furto et eius speciebus. — De aliis enim iniuriis, in bonis scilicet corporis, honoris et famae, sat dictum est in *Tractatu de quinto et octavo Decalogi praecepto*.

Agendum 1<sup>o</sup> de natura et gravitate furti; 2<sup>o</sup> de causis a furto excusantibus.

## ARTICULUS I. — DE NATURA FURTI.

605. — DEFINITIO. Furtum est occulta ablatio (1) rei alienae, domino rationabiliter invito.

DIVISIO. Furtum sic distinguitur

1<sup>o</sup> Furtum *simpliciter*, si fiat *occulte*. — 2<sup>o</sup> Rapina, si fiat *aperte* cum vi domino illata (2). — 3<sup>o</sup> Sacrilegium, si fiat circa rem sacram.

ex quo sequitur intentum creditorum damnum. At enim non videtur per haec difficultas solvi, aut Lugonis doctrina refutari. Nam eadem debitoris occisio, fatente ipso S. Alphonso censetur vel non censetur causa damni creditorum, atque adeo in eos iniusta, solum pro nocendi intentione vel non intentione; secus enim occisor ad restitutionem tenebitur, etiamsi absit prava illa intentio; quia actio, si per se iniuriam affert alteri, onus infert restitutionis, etiamsi absit nocendi intentio, dummodo praevisum damnum fuerit. Cum ergo ipsa vis exterior evadat iniusta in creditores

solum ex interna intentione, corrumpit fundamentum discriminis, quod inter hunc et alios casus assignatur.

(1) Cum dicitur *ablatio*, furtum distinguitur a mera *damnificatione*. Abs re igitur quidam exemplum *gravis furti* reperiunt, si quis acum sartori surripiat, sine quo laborare nequeat. Gravis enim erit damnificatio, non vero grave furtum.

(2) Si furtum est *occulta ablatio*, rapina vero *aperta ablatio* cum violentia; rapina igitur dici non debet *species furti*; sed iniustae ablationis.

**Principia.** — I. Furtum, quocumque nomine appelletur, peccatum grave est *ex genere suo*, quia graviter *per se* legi naturali adversatur, ut patet tum ex ratione, tum ex Scriptura sacra, in qua adnumeratur peccatis, quae a regno caelorum excludunt. Sic enim Apost. 1. Cor. 6. 10.: *Neque fures..., neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

II. Furtum sacrilegum et rapina speciem malitiae diversae constituunt: illud, quia praeter iustitiam violat religionem; ista, quia iniustae ablationi rei alienae addit iniuriam personae illatam. Caeteri autem modi, vel alia obiecta furti, speciem non mutant, quia per ista damnificationis natura non mutatur.

606. **Quaesita.** — **QUAER.** 1<sup>o</sup> *Quaenam materia censeatur gravis in furto?*

**Resp.** 1<sup>o</sup> Non potest rigorose determinari (3). Iuxta sententiam communem, quae omnino tenenda videtur, materia haec spectanda non est *absolute in se*, sed *relative* ad varias hominum conditiones et necessitates, ita ut gravior materia requirenda sit ad grave peccatum in furto erga divitem, quam erga pauperem (4). Ratio est, quia gravitas furti,

(3) *Doctores fere omnes* (inquit Lugo, *De Iust. disp. 16. n. 21.*) *post longam inquisitionem et magnum studium, ut materiam aliquam determinarent furti gravis, ingenue fatentur, non posse regulam aliquam fixam constitui, sed totum id pendere a iudicio morali, ita ut Deus sciat, quando hic et nunc materia sit gravis; nos autem in dubio debemus abstinere. Nam licet posimus certo determinare materiam aliquam, quae sit levis, v. gr. unum obolum, vel assem: et alteram, quae certo sit gravis, v. gr. centum aureos; inter tamen duo illa extrema non possumus definire, quae sint confinia utriusque materiae, ita ut citra talem summam sit levis, et ultra illam sit gravis. Conantur vero aliquas regulas morales assignare, ad dignoscendam saltem in confuso utramque materiam, quae iuxta uniuscuiusque genium et ingenium aliquae nimis strictae, aliquae nimis laxae sunt.*

Attamen, ut ipse Lugo (ibid. n. 35.) subiicit, lex ipsa naturae postulat, ut certa

quaedam furti gravis quantitas determinetur, citra quam quantitas paululo, v. gr. uno vel duobus obolis minor possit sine gravi peccato accipi. Alioquin enim in illud maximum inconveniens incidemus, ut vel omnia furta etiam minutissima gravem habeant reatum, vel nullum furtum etiam gravissimum graviter prohibitum dici queat. Nam nisi per levissimam distantiam aliquando a levi ad gravem materiam transitus fiat, et viceversa, a materia certe levi per incrementa exiguissima ad gravem nunquam pervenimus, et contra a materia certe gravi per decremента exigua nunquam devenimus ad levem.

Quae duo profecto, nimirum tum plane incerta confinia inter gravem ac levem materiam, tum necessitas certi cuiuspiam termini inter gravem materiam et levem, quam maxime salebrosam, uti patet, huius tractationis conditionem efficiunt.

(4) Communis est distinctio ut materia furti alia dicatur gravis *absolute*, alia *relative*. Prior gravis respectu omnium et semper censetur; altera vero gravis est respectu quorundam, cum tamen re-

sicut gravitas cuiuslibet iniuriae, pendet praesertim a maiori vel minori privatione, dolore et reluctantia voluntatis, quam patitur ille, cui surripitur; iam vero nemo non videt eandem materiam nunc levem nunc gravem causare contristationem, prout dominus, a quo aufertur, dives est vel pauper. Attendendum tamen est ad reluctantiam voluntatis, ut inter homines *communiter et rationabiliter* habetur, non vero respectu ad homines maiori vel minori amore pecuniae allectos. — *Ita communiter* cum S. Lig. n. 526., contra Billuart *et alios nonnullos*, qui contendunt materiam, sive gravem sive levem, absolute in se spectandam esse, eamque consistere in eo, quod ad quotidianam sustentationem viri honesti seu mediocriter divitis requiritur.

Aliqua tamen determinanda est absoluta materia, quam nunquam sine culpa gravi praetergredi liceat; secus enim si proportio omnimoda servanda foret inter omnes conditiones, profecto maxima quantitas pro materia gravi, ubi quis surripit ditissimo principi, requireretur: hoc autem in societatis damnum sane cederet.

607. — **Resp.** 2<sup>o</sup> Ad gravem vero materiam relative spectatam (attentis praecipuis Europae locis, et temporum nostrorum adiunctis) requiri videntur 1<sup>o</sup> circiter valor unius franci seu 20. asses relative ad pauperes, et aliquando minus pro maiori gradu necessitatis; 2<sup>o</sup> circiter duo vel tres franci, seu 40. vel 60. asses relative ad operarios, qui labore diuturno victum sibi comparant; 3<sup>o</sup> circiter quatuor vel quinque franci relative ad homines mediocriter divites; 4<sup>o</sup> circiter sex vel septem franci relative ad divites ordinarios.

Quod spectat vero ad materiam absolute gravem, est communior sententia apud S. Alphonsum (5), duos aut tres aureos materiam gravem existimari. Aureus autem quinque circiter francis aequivalet. In mentem tamen revocare velis, pecuniam tunc temporis utpote rariorem, fuisse etiam pretiosorem (6).

spectu aliorum levis haberi queat, quippe quae (ut ait Lugo *De Iust. disp. 16. n. 27.*) desumitur *ex quantitate rei ablatae cum proportione ad bona patientis iniuriam*. Neque vero hanc distinctionem rejicit hoc loco Auctor; sed oppugnasse quosdam videtur, qui *absolutam* tantummodo, non autem *respectivam* materiae gravitatem forte admiserint.

(5) S. Alphonsus (lib. 3. n. 527.) enumerat saltem 20. Auctores, qui quoad ditissimos pro materia gravi exigunt duos vel etiam tres aureos. Imo *plurimis*, tri-

buit sententiam, quod tres aurei requirantur; quam sententiam a Laymanno communem dici testatur. Aureus autem communis scutato romano aequivalet. Et ex hoc patet, horum DD. iudicio materiam gravem *absolute*, quae scilicet nunquam levis culpa censei possit, saltem summam trium aureorum attingere debuisse.

(6) Inconstantia valoris pecuniarium efficit, ut plures DD. materiae gravis mensuram a pecuniae certa quantitate nequam sumendam putarent. Ita Molina (*De Iust. tr. II disp. 685. n. 2.*): *Imprimis ar-*

608. — *QUAER.* 2<sup>o</sup> *Quaenam materia requiratur, ut furta uxorum, filiorum et famulorum gravia evadant?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> Certum est apud omnes, in furtis uxoris et filiorum plus requiri ad gravem materiam constituendam, quam in furtis extraneo-

bitror, rem hanc definiendam non esse quantitate pecuniae. Ut enim disp. 406. ostensum est, minime variata pecunia..., accrescit et decrescit valor illius, multitudine aut paucitate ipsius.... Quo fit, ut ad definiendam summam, quae satis sit, ut furtum sit culpa letalis comparatione omnium locorum ac temporum, non sit apta certa regula dicere, esse certam pecuniae quantitatem, ut duos, tres, vel quatuor regales argenteos. Quoniam ubi minus valent ob maximam pecuniae abundantiam, minor laesio minorque iniuria proximo fit in furto valoris summae eius pecuniae, quam ubi plus valent; et ubi plus valent ob pecuniae magnam penuriam, maior laesio maiorque iniuria proximo fit in furto eius valoris summae pecuniae, quam ubi minus valent. Et Card. De Lugo (*De Iust.* disp. 16. n. 25.): *Nec etiam designari potest valor redactus ad tantam pecuniam pro materia gravi; quia valor ipse pecuniae, seu eius aestimabilitas, non est aequalis in omni loco et tempore.* Ad Confessarium itaque spectat prae oculis habere locorum circumstantias. Nam diurnus, v. gr. operarii labor alicubi tres francos affert, dum alibi idem labor vix unum francum feret.

Neque minor in pecuniae valore varietas deprehenditur pro temporum varietate, quae quidem diversitas etiam attentius consideranda est, ut Doctorum de hac re mens accurate cognoscatur. Iam enim inductam hanc varietatem sic aetate sua advertebat Molina (*De Iur. et Iust.* tract. 2. disp. 685. n. 2.), qui anno 1600. obiit. *Quae octoginta antea annis emebantur aut conducebantur uno, non emuntur neque*

*conducuntur hodie quinque aut etiam sex.* At enim post dimidium saeculum valorem pecuniae plus adhuc imminutum sic notat Card. Lugo (*De Iust. et Iur.* disp. 16. n. 25.), qui obiit an 1660: *Scimus etiam, apud nos ipsos adeo decrevisse pecuniae aestimationem... ut quibus olim 50. aurei ad victum sufficiebant, hodie non sufficiant 150.* Quid vero ab ea aetate ad nostram usque de pecuniae valore factum sit, nemo ignorat. Si enim et S. Alphonsus (lib. 3. n. 383.) ingens in hac re discrimen adnotat inter suam et La Croix aetatem (La Croix autem Lugoni paulo suppar extitit), facile patet, quid diebus nostris sentiendum sit quando stupent omnes et conqueruntur, rerum pretia brevi temporis intervallo in immensum excrevisse, seu, quod in idem recidit, pecuniae valorem in immensum decrevisse.

Hinc vero sponte sua sequitur, mensuram materiae gravis in furto (praesertim si de materia absolute gravi sermo sit) non apte desumi a veteribus ita, ut limites ab illis tunc praescripti etiam nunc ex ipsorum auctoritate definiti censeri debeant. Ita cum habeas (apud S. Alph. lib. 3. n. 527.). Silvestrum, Angelum, Sotum, Cordubam, Arragonium, Rodericum, etc., qui antiquiores sunt Ludovico Molina, hi autem ad materiam absolute gravem tres aureos, tria scilicet ad minus scutata requirant, quorum alioqui sententiam Laymann, Molinae suppar communem appellat (apud S. Alph. l. c.); profecto quisquis eorundem iudicio definire rem velit, necesse prorsus est, ut rationem habeat mutationis quam pecuniae valor ab ea aetate ad nos usque subierit.

rum; quia paterfamilias est minus invitus, aut saltem minus rationabiliter invitus in priori casu, quam in posteriori, et saepe invitus est magis quoad modum (quod clam accipiatur), quam quoad substantiam. — S. Lig. *Hom. Apost.* n. 32. Addunt autem, *probabilius* requiri pro iis summam duplo maiorem, quam pro extraneis; sed nulla regula generalis assignari potest; res enim a variis personarum vel conditionum circumstantiis plerumque definienda erit? (7)

*Resp.* 2<sup>o</sup> Pro famulis pendet etiam a maiori liberalitate vel tenacitate dominorum, ex qualitate vel situ rei subreptae, v. gr. si sit comestibilis vel non, custodita vel aperta..., etc... Iuxta multos per furta minuta facta a famulis in cibis et esculentis, quae non solent caute servari, generatim non devenitur ad mortale, modo haec non vendantur aut e domo educantur, aut sint pretii extraordinarii. Si autem famuli furentur pecuniam (8) aut res sedulo custoditas, non requiritur quantitas maior ad peccatum grave, quia domini tunc non sunt minus invitati erga ipsos, quam erga alios. Imo huiusmodi furta severius lege civili puniuntur, ob fidelitatis defectum, qui in illis intervenit. — S. Lig. *Hom. apost.* n. 34.

609. — *QUAER.* 3<sup>o</sup> *An furta minuta coalescere possint ad gravem materiam constituendam?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> *Affirm.* prorsus, si agatur de furtis adversus eandem personam commissis, quia unita facile damnum grave domino inferre possunt. Constat etiam ex hac propositione 38<sup>a</sup> ab Innoc. XI. damnata: *Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis* — Ergo obligatio gravis datur summam gravem per minuta furta ablatam restituendi, et proinde furta minuta coalescunt.

*Resp.* 2<sup>o</sup> *Affirm.* cum sententia communi, etiamsi agatur de furtis minutis in damnum diversorum commissis. Ratio est, quia praeceptum non furandi obligat non solum ne damnum grave proximo inferatur, sed etiam ne quis re aliena ditescat (9). Quippe talis fur, si non indivi-

(7) Quod refert A. de dupla quantitate ad graviter peccandum contra substantiam, intellige, quando pater sit rationabiliter invitus etiam quoad substantiam. Caeterum DD. sententiae, quas S. Alphonsus (*Hom. apost.* Tr. 10. n. 32.) refert, ob circumstantias, quas et A. generatim memorat, multo latius eam materiae quantitatem extendunt.

(8) Haec exceptio tamen non videtur extendenda ad levissimas alienius oboli aut semioholi subtractiones, ancillis famu-

lisve haud infrequentes, dum quotidianum victum pro heris emere solent.

(9) *Haec ratio* (inquit Lugo *De Iust.* disp. 16. n. 49.) *non videtur sufficiens, quia praeceptum non furandi non intendit vitare emolumentum proprium sed damnum proximi... Si ergo proximus non laeditur graviter, non potest prohiberi graviter illa actio.* Haec Lugo non quasi reiiciens communem doctrinam de gravitate culpae in his furtis nam illam mox (ibid n. 50.) solidis ra-

duis singillatim sumptis, certe communitati grave damnum infert. Et sane nisi huiusmodi furta prohiberentur sub gravi, homines non pauci facile ex furtis ditescere vellent, cum id absque salutis aeternae dispendio facere possent; proinde magna deordinatio in societate subsequeretur. Ergo haec furta *sub gravi* iure naturali prohiberi debuerunt. — S. Lig. n. 534. — Lugo, disp. 16. n. 37.

610. — QUAER. 4<sup>o</sup> *An minuta furta adhuc coalescant, si inter ipsa magnum ponatur intervallum?*

*Resp. Neg.* iuxta sententiam communiorem. Ratio est, quia posito magno intervallo, furtula ex communi hominum aestimatione moraliter uniri non censentur, nec proinde unum obiectum in genere moris constituunt. Insuper tunc non apparet gravem damnum domino illatum, cum vix illud persentire possit; adeoque graviter invitus non censetur. — S. Lig. n. 530. — Vogler, n. 133.

QUAER. — 5<sup>o</sup> *Quandonam intervallum censeatur magnum?*

*Resp. Probabilius* tenendum est, furta non amplius coalescere ultra spatium duorum mensium, etiamsi ad materiam quasi gravem accederent. — S. Lig. *ibid.*

Aliqui tamen intervallum anni unius requirunt, ut furtula coalescere desinant; alii vero contendunt sufficere, si mensis unus intercedat, aut etiam tempus brevius, si agatur de furtulis valde minutis. Sed priores in rigorem, et posteriores forte in laxitatem aliquam declinare videntur (10).

Caeterum furta minuta etiam posito quocumque intervallo ex omnium sententia coalescunt, quoties patrata sunt cum intentione ad summam notabilem perveniendi; quia per hanc intentionem vere inter se ununtur. — S. Lig. n. 330. — Billuart, etc.

611. — QUAER. 6<sup>o</sup> *Quandonam evadat materia gravis in furtis minutis?*

*Resp. 1<sup>o</sup>* Si furta minuta eidem fiant diversis vicibus, materia erit gravis, quando haec ex dimidia parte excedet summam ad furtum grave communiter requisitam. — *Ita communiter* (11).

tionibus propugnat; sed innuere volens minus firmum illius rationis robur. Et sane iure inventionis, alluvionis, praescriptionis homo ex alieno licite ditescit.

(10) Haec in re dissensio ipsa DD. ostendit, normam aliquam certam vix tradi posse. Addi potest, hoc iudicium non a solo spatio temporis singulis furtis interiecto sumendum esse, sed et ex comparatione animi illius qui surripit, aliisque adiunctis e quorum diversitate est repetenda diversa pro

diversis casibus hominum de hac re aestimatio. Ita v. gr. reprehenduntur quidem qui per agros uvae, ficus, fabas, poma, etc. leviusculis furtis saepe surripientes vorant, at vix reperies, qui notam laxitatis timeat, si etiam post plures huius consuetudinis annos scrupulum ipsis gravis furti ob materiam coalescentem non iniiciat.

(11) *Admittunt omnes cum Cardena ad materiam gravem tum requiri amplius, v. gr. duplo plus quam suf-*

*Resp. 2<sup>o</sup>* Si furta minuta fiant diversis personis, materia gravis *per se* censebitur, cum erit duplo maior, quam summa ad furtum grave communiter requisita (12). — S. Lig. lib. 3. n. 530., *et alii multi.*

QUAER. 7<sup>o</sup> *An retractatio voluntatis impediatur, quominus furtula sequentia cum praecedentibus uniantur?*

*Resp. 1<sup>o</sup> Affirm.*, si retractatio fuerit efficax, id est, si de facto prius ablata fuerint restituta, quia semel separata iam hic et nunc amplius non existunt. — *Ita communiter.*

*Resp. 2<sup>o</sup>* rursus *Affirmative*, si furtum subsequens ex aliquo particulari motivo fieret; tunc enim non videretur efficaciter destruere praecedentem restituendi voluntatem; vel etiam si fur expresse et serio iterum simul proponat prius surrepta restituere (13), quod tamen vix in praxi admitti potest; quandoquidem qui serio proponit restitutionem, hic et nunc furta non iterat. — *Negatur* tamen, ubi haec voluntas quodammodo revocari videatur per novum furtum; etenim in hoc casu nihil obstat, quominus retineatur summa notabilis, et furta in unum coalescant.

612. — QUAER. 8<sup>o</sup> *An graviter peccet, qui post completam materiam gravem leve quid adhuc furatur?*

*Resp. Disputatur.* I<sup>a</sup> SENTENTIA, quae videtur probabilior, *negat*, seclusa intentione ad novam summam gravem perveniendi. Ratio est, quia

*ficeret, si simul auferretur.* Ita La Croix lib. 3. part. 1. 1011. Sententia autem ab Auctore relata est opinio quam S. Alphonsus (lib. 3. n. 530.) tribuit Beniamino Elbel.

(12) Hanc quoque opinionem S. Alphonsus (lib. 3. n. 530.) refert quasi ex Elbel. Sed re ipsa Elbel (*De Restit. Conf.* 10. n. 290.) non loquitur de furtis minutis, quae diversis fiant diverso tempore, sed de furtis eodem tempore patratis, quae minuta ideo dicuntur, quod damnum singulis allatum leve sit, v. gr. si semel surripias ex massa pluribus communi.

Caeterum sive huic opinioni adhaereas sive cum aliis plus aliquid exigere malis propter furta diversis vicibus patrata, advertendum est, communem gravis furti mensuram desumi hinc non posse ex gravitate *relativa*; damnum enim non uni infertur personae, sed pluribus, quarum tamen nulli damnum relative grave illa-

tum supponimus. Communis igitur furti gravis mensura, quae deinceps saltem dupliciter in casu computari debeat, non ex *relativa* sed ex *absoluta* gravitate desumatur oportet, quae nimirum adhibetur, cum furta cedunt in damnum communitatis.

(13) Ita Lugo (*De Iust. disp.* 16. n. 40.) cum Molina, Sanchez, Rebello, Granada, Diana, etc. *Ratio autem* (ait Lugo) *est clara; quia furari cum intentione statim vel cito restituendi, non videtur peccatum grave per se loquendo, cum brevis illa detentio parum detrimenti domino afferat nisi per accidens in aliquo raro casu; si ergo intendis cito restituere priora, ita ut ad breve tempus retineas apud te debitum summae gravis, non est unde gravem malitiam accipiat illud furtum.* Quae quidem valere videntur, si fur non quidem prius ablata, sed solum quae hic et nunc surripit, mox intendat restituere.

furtulum illud non videtur referendum ad summam gravem iam completam, sed potius ad novam, quam tunc fur inchoat et prosequitur. — Ita S. Lig. n. 538. — Lessius, c. 12. n. 44. — Salmant., *de Restitutione*.

II<sup>a</sup> SENTENTIA *Affirmat*, quia in hoc novo furtulo fur renovat intentionem retinendi gravem summam iam subreptam. — Ita Lacroix, n. 1007., et Lugo, d. 16. n. 43, qui tamen negat peccatum multiplicari, sed dicit, idem peccatum terminari etiam ad furtum posterius simul cum summa antecedente (14), etc. Iuxta *alios* sic distinguendum est: peccat graviter ille, si non habeat verum propositum restituendi summam gravem iam possessam; secus vero, si tale propositum habeat. — Ita Billuart, diss. 11. art. 4.

613. — QUÆR. 9<sup>o</sup> *An graviter peccet, qui levi furto complet materiam gravem ab aliis apud eundem inchoatam?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> *Neg.*, si nescivit furtula ab aliis fuisse commissa, quia non est conscius damni gravis domino illati. — *Ita omnes.*

*Resp.* 2<sup>o</sup> *Neg.*, saltem *probabilius*, etiamsi damnum fere grave ab aliis patratum noverit, secluso tamen casu conspirationis. Ratio est, quia iste parum quid tollens neque est per se causa gravis nocenti, neque in causa est, quod alii alia acceperint; ergo nullo modo illi imputari debet grave damnum, quod dominus patitur. — Nec dicas, quod talis fur tam graviter peccet, quam homicida mortem inferens ictu levi homini ab aliis iam innumeris levibus vulneribus percusso; nam postremo huic vulnere mors debetur, quae alias secuta non fuisset. Aliter autem se res habet in casu furti; neque enim ob ultimum furtulum notabilis aliqua calamitas seu damnificatio accedit. — Lugo, d. 16. n. 53. et seq. — Lessius, lib. 2. cap. 2. n. 52., et *alii communiter*, contra Bonacina, et *alios*.

614. — QUÆR. 10<sup>o</sup> *An si plures sine communi consilio, sed exemplo, levia furtula committant, ita ut damnum totale sit grave, singuli peccent graviter?*

*Resp.* *Neg.* *probabilius* ratione *iustitiae*, etsi peccare possint contra charitatem. Ratio est, quia exemplum non est causa positiva influens in damnum alienum (15). — Ita S. Lig. n. 537. — Lessius, *ibid.* n. 52., et *alii communiter* contra *nonnullos*.

QUÆR. 11<sup>o</sup> *Quandonam ex parte furis ablatio rei levis fiat peccatum grave?*

*Resp.* Fit triplici modo, scilicet 1<sup>o</sup> per *intentionem* perveniendi ad materiam gravem; — 2<sup>o</sup> per *multiplicationem*, si furtula minuta ad sum-

(14) Idecirco abs re La Croix pro sua opinione Lugonem allegat, qui potius consentire cum opinione Billuartii videtur.

(15) Si de reatu agitur, quem quis in-

currat, quia exemplo suo alios ad malum provocat, in casu non singuli, sed illi tantum, qui alios sic ad damnum inferendum permoverint, eiusmodi reatu tenebuntur.

mam gravem perveniant; — 3<sup>o</sup> per *conspirationem* ubi plures conspirant inter se, et furtula singulorum collecta materiam gravem constituunt.

615. *Resolves.* — 1<sup>o</sup> Si fur, intendens pervenire per furtula ad summam gravem, renovet intentionem hanc, quoties furatur, toties graviter peccat. Si tamen ab initio intendat surripere aliquam summam determinatam per minuta furtula, v. gr. ne detegatur, *probabilius* unicum admittit peccatum, quia unicus est actus moralis; omnes siquidem actus particulares ad quid unum efficiendum determinate tendunt (16). — *Recole dicta in Tract. de Pecc.* n. 163.

2<sup>o</sup> Qui a domino aufert exiguam rem ipsi valde caram, v. gr. florem rarum ac singularem, primos fructus ex arbore ad aliquem praecipuum virum honorandum destinatos, praevidetque simul, dominum graviter ex tali amissione affligendum, graviter peccat contra charitatem; contra iustitiam vero leviter, nisi forte grave damnum inde secuturum videatur.

3<sup>o</sup> Graviter peccant mercatores falsis ponderibus utentes, quamvis singulis vicibus in parva materia defraudent; quia ad materiam gravem intendunt pervenire, aut certe norunt, se ad eam perventuros esse.

4<sup>o</sup> Sartores et ipsorum famuli letaliter peccant contra iustitiam, ubi retinendo sibi aut vendendo panni, quae supersint, fragmenta alioqui dominis adhuc utilia, ad materiam gravem pervenerint. Excipe, nisi alibi vigeat consuetudo, ut minus solvatur, et fragmenta sartoribus remaneant; aut nisi constet, dominos opulentos non velle fragmenta sibi restitui, vel de illis parum curare. — S. Ligor. *passim.* — Vide *Casus*, n. 553. et seq.

#### ARTICULUS II. — DE CAUSIS A FURTO EXCUSANTIBUS

Causa duplex assignatur: 1<sup>o</sup> necessitas; 2<sup>o</sup> occulta compensatio.

##### §. 1. *De necessitate a furto excusante.*

Necessitas alia est extrema, alia gravis, et alia communis. *Extrema* dicitur, in qua vita ipsa periclitatur, aut gravissimum malum imminet; *gravis* vero, in qua vita valde molesta ducitur; *communis* autem in qua pauperes mendicantes communiter versantur.

(16) Reipsa vix apparet, quid differat hic casus a praecedenti. Utrobique enim multiplex adest externus actus cum proposito eiusdem pravi finis; nec substantiam rei mutat, quod in altero fur idecirco paulatim surripiat, *ne detegatur*. Forte autem ideo diversa est utriusque resolu-

tio, quia cum variant in eiusmodi quaestione DD. opiniones, unus idemque casus modo ex horum, modo ex illorum opposita opinione resolvitur. Vide, quae de haec quaestione superius (pag. 145. not. 6) dicta sunt.